Nobilissimo viro, D. Constantino
Hugenio, Zulichemi Domino, &c.
Caspar Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime Hugeni,

torporem meum in perscribendis literis, excutit saepius perpetuus scriptor Vicofortius. Iam tu versibus tuis, velut alter Miltiades, somnum mihi adimis. Religio est silere, te praeeunte. Liberis tuis masculis graviter et ingeniose, tuo more, gratularis. Sequor et ego, verum ut patrem apud inferos sequitur Claudius, non passibus aequis. Parentas Doveny Heroïs manibus, validis epigrammatibus. Ego unicum scripsi, cum ad plura non sufficiam. Ad effigiem tuam et dilectissimorum pignorum suaviter, nec minus docte alludis, ita, ut a novercante thalamo tibi videaris metuere. Ego et Tibi et mihi ἀπὸ τῆς μητρυιῆς timui semper, ob lapsam aliquando in privigni caput mortua noverca statuam. Ita est in Graeco Epigrammate:

Στήλην μητρυιῆς μικρὰν λίθον ἔστεφε κοῦρος,
ὡς βίον ἠλλάχθαι, καὶ τρόπον οἰόμενος.
Ἡ δὲ τάφῳ κλινθεῖσα κατέκτανε παῖδα πεσοῦσα,
φεύγετε μητρυιῆς καὶ τάφον οἱ πρόγονοι.

In hunc diem steti ἀμετάπτωτος et τετράγωνος, nescius tamen fati sortisque futurae. Interea γυναικείας ἕνεκα secundas nuptias versibus et dialogis propugno. Sunt inter epigrammata tua apud Nob.mum Vicofortium, quibus Lydiam et Polluceam et Mariam, nescio quam, exornas. Cum legeret ista incertus autor, Fescennina quaedam reposuit. An concoquere has pernas possis, non facile dixero. Si nauseam pariant, exspue, uti catapotia solent pueri. Sed quantis, Zulicheme, coniugiis erigitur Foederatorum fortuna et Auriaca domus. Num canendum propediem Coniugio Anchisa Veneris dignate superbo.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 139
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2621

Quamvis contrà motibus concutitur Austriacae dominationis
apex, et εὐρυκρείων Hispanus. Quam diversis studiis
surgimus nos, premitur ille. alia nuptiarum, alia
rebellionum indoles. illae nectunt, hae dissolvunt foedera,
juramenta, populos, sceptra. Nos hic nuper anniversario
festo Nobiliss.mi Satrapae Hoofdii interfuimus, cui Iambis
aliquot applausi, quos mitto. Aderat Tessela. Adfuisti et
Tu, sed uti adsunt absentes, qui bibunt alienis faucibus,
nec de hospitis intemperantia querantur. Qui has N. Tuae
literas tradit, vicinus noster est, vir frugi, et ad res
agendas praetoriis vocibus idoneus. Ambit praeturam
insulae Sedlingerae. Ego et collega meus D. Vossius illum
serio commendavimus Senatoribus Camerae rationum.
Fovere idem Consiliarii, Reigersbergius et Doublettius, etiam
facundum os Graswinckelii. Utinam à Nobilitate
Tua impetrare possim, ut benignam vocem jungas aliorum
testimoniis apud D. Basium vel D. Heemskerkium. Ego
hoc in maximis tuis erga me meritis reponam. Vale
Vir summe, et Constantinum tuum mone, ut subinde
mihi sua impertiat. Volo enim de ipsius progressibus
esse certior. Amstel. XXX Jan. CIↃIↃCXXXXI.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 139
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2621

Pro ſecundis Nuptijs,

Optima deceſsit coniux, nunc poſcitur uxor
Altera. cur? fas eſt, optima ſæpè peti.

2

Ob genus & ſpeciem ſi Lydia ducitur, errat.
Non ſunt illa rei, ſunt rationis opus.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 139
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2621

Nobilissimo, praestantissimoq.
viro D. Constantino Hugenio
Equiti, Zulichemi Domino,
et Celsissimo Principi Auriaco
a consiliis et secretis

per amicissimum.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 139
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2621